



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Mercurius Mart. 25. Novembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

Quid ageret captiva Christi nupta? precibus pugnat; cælum miraculis. Etenim cum Olympius jam in exosa amoris vincula manus stringeret, obriguere eousque hæ, dum castitati victas daret, & Christianam fidem cum totâ familiâ (centum erant & quinquaginta) amplecteretur, cujus pulchritudinem ingens, quod è cælo affulsit, lumen attonitis ostendit. Et jam ecce primus pro castitate & fide Olympius occumbit, ex Christi rivali paranympus factus, habuitque socium tortorem non absimili miraculo sociatum. Sic præeuntem non invita jam secuta est FIRMINA. Viam flagrastravere verberaque, & quas inter expiravit, faces lateri admotæ. Itaque has etiam rectè nuptiales fuisse dicemus. *Ex Ferrar.*

*Melius est habere malorum divortium, quàm consortium; quia sicut bona multa habet laudabilis vita & conversatio sanctorum, sic plurima mala societas affert malorum, quam quicumque tenuerit, continentiam numquam tenere valebit. S. Laur. Just. Lign. vit. c. 5.*

S. MERCURIUS MART. 25. Novembris.

**A**udete milites: non excludit vos cælum, si quam aliis vim, etiam huic facitis. Fecit MERCURIUS, qui malè Decio primùm, sed benè post Christo militavit. Cùm enim in ipsâ acie de Angeli sui Tutelaris manu gladium accepisset, quo hostium benè magnam partem trucidaverat, non moratus est sub illo deinceps mereri, qui optimum stipendium certam victoriam numeraret, quam ille etiam contra Decium reportavit. Quid enim? Superi! quatuor palis alligatus, distractusque, abstrahi tamen ad tyranni partes non potuit. Suspensum è capite saxum ipse pedes suspensus, velut

25. Nov. velut fascem suum generosus miles portavit. Sed neque ignes horruit, & plagas pro Christo etiam adversas putavit. Exilium velut missionē accepit. Caput spiculatori velut Imperatori conandum porrexit. Illud imprimis memorabile, quod MERCURII operâ, etiam cum in cælo jam ageret, VIRGO MATER sit usa. Nam ajunt D. Basilium ante VIRGINIS effigiem Juliani impietatem accusasse, hanc capitis in tyrannum sententiam dixisse, & ad id ablegasse MERCURIVM; à quo ille confossus haustum è vulnere cruorem cum hâc impiâ voce in cælum ejaculatus sit: *Vicisti Galilæe: rem omnem ab absente tunc Martyris hastâ & postri die cruentâ proditam esse. Atque hoc puto etiam Sodalibus aurem vellicabit, quæ semper MATER audit, etiam nonnumquam eam judicem esse. Ex Baron. & Metaphr.*

*Audes aperire os tuum, & in cælum juramenta atque blasphemias emittere? & non times ne forte falx ignea, quam Propheta vidit, demoretur in domo tua, teque excidat, qui sic audes aperire os adversus Deum, in quem Angeli non audent oculos conjicere? S. Ephrem paræn. 43.*

S. CATHARINA VIRG. & MART.

25. Novembris.

Palladem Christianam damus, CATHARINAM inquam, fortissimam virginem & sanctorum Musarum dignissimam Præsidem, non ægide aut hastâ mendaci, sed rotâ fractâ & lacteo gladio formosam. Ausa est hæc una ex omni Alexandria Diis sacrificantem Maximinum interpellare, stultitiæque propalâm arguere, quin captiva cum quinquagenis Philosophis pro Christo

in